

B. M. II. 70.

h. 12. 1.

X 1876040

Q. D. B. V.

II R
1542

DISSERTATIO JURIS PUBLICI

DE

REGE ROMANORUM,

QVAM

CONSENSU ET AUTORITATE MAGNIFICI
JCTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRISSIMA LEUCOREA

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO atq; CONSULTISSIMO

DN. CHRISTOPHORO RITZER/

J. U. D. CELEBERRIMO, SERENISSIMI, POTENTISSIMIQUE
SAXON. ELECTORIS CONSILIARIO SUPREMI APPELLATIO-
NUM JUDICII, NEC NON INCLUTÆ FACUL-
TATIS JURIDICÆ ASSESSORE

GRAVISSIMO.

*Domino Patrono, Præceptore atq; Hospite suo, obsequio-
so animi cultu devenerando,*

Exhibebit publicè

AUTOR


JOHAN. JOACHIM. MÜNCH. ROSENTHAL. MISN.

IN AUDITORIO JCTORUM.

HOR. CONSUET.

AD

D. II. Novembr. A. O. R. cl. Isc. LXX.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.





PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO,

DNO. CAROLO,

LIBERO BARONI de FRIE-
SEN, DYNASTÆ IN RÖTHAU,
JESCHVVITZ ET KOTTA

&c.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS
SAXONIÆ CONSILIARIO INTIMO, CUBICULARIO CO-
MITI EXCELLENTISSIMO, & PROTO-SYNEDRI,
QVOD DRESDÆ EST, PRÆSIDI

EMINENTISSIMO,

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO.

Nec Non

*MAGNIFICO, NOBILISSIMO, ET CONSULTISSIMO
VIRO,*

DN. JOHANNI FRIEDERICO

HEIGIO,

JCTO CELEBERRIMO, SER. POTENTISSIMIQUE
SAXONIÆ ELECTORIS CONSILIARIO SUPREMI
APPELLAT. JUDICII ATQVE CONSIST. ECCLE-
SIASTICI GRAVISSIMO,

PATRONO SUO VENERANDO.



I jure soli, fructus fundi eum sequuntur, cu-
jus est solum; ad VOS certe, PERILLU-
STRIS DNE. ac VIR MAGNIFICE, fructus
fundii Academici pertinent. Salutem, felicitatem,
atq; fortunam Resp. literaria VOBIS debet. Artes
ac bonæ literæ quamvis sibi sint amplissimum thea-
trum, rarissimè tamen suo ductu atq; auspicio ad o-
ptatum emergunt finem. Magnorum VIRORUM
Patrocinio opus est, quo fretæ orbi suas exponant
merces; Naturâ ac more fructuum, quos æquidem bo-
nitas soli producit, cessante tamen cultu Patrisfami-
lias ad justam maturitatem vix traduci videmus. Flo-
ruerunt olim Romæ, extinctæq; iterum jacuerunt,
prout natura Principes liberali, difficilique instruxerit
ingenio. Pari modo hâc seculo comparatum est cum
bonis ingeniis. Hic in summa constituta sunt fortu-
nâ, illic cum magno seculi dedecore exulant, prout
nempe Deos nanciscuntur tutelares. Fama certe re-
rum vehet, candidæq; narrabitur posteritati, quo fa-
vore & patrocinio DNE. GRATIOSISSIME, ac
PATRO-

PATRONE OPTIME eruditas indoles
complexi fueritis. Hæc certe felicissima via
est, quâ ad summum enituntur culmen. In omni
aliâs benè constitutâ Rep. præmia virtutibus, scele-
ribusq; supplicia præstituuntur; Qvippe animi mor-
taliû nunquam tam perfectis compositi sunt mori-
bus, ut virtutem ob suam pulchritudinem capeffant,
fugiantq; scelera ob turpitudinem. At ignaviæ atq;
sordidiæ nulla lex expressè definit pœnam: Satis ta-
men supplicii est ignavis atq; imbellibus ex pruden-
tum fastidio. Quinimo insitâ aliqvâ vi declinent ad
rectum necesse est, cum vident se virtuosos postponi,
nisi natura ætatem plane barbaris damnaverit inge-
niis. Subit ideoq; animum cogitatio, quibus potissi-
mum nuncupem hæc studiorum primitias, ut eò fe-
licius operari possem literis. **PERILLUSTRI** tandem
atq; **MAGNIFICO NOMINI VESTRO** hanc Dis-
sertationem offerre non erubui, cum præ cæteris ma-
ximè à Vobis literæ in honore habeantur, vestroq; au-
spicio in omnium triumphent plausu. **REGEM RO-**
MANORUM, quantum in me fuit, rudi penicillo
delineare ausus sum, vivis tamen ac justis coloribus
ipsum

ipsum me expressisse iniquè gloriarer. Inerudito igitur huic scripto faveatis Ipsi, & favoris publici viam pro singulari Gratiâ vestrâ solitâq; humanitate aperiatis, submissis rogo precibus. Nec dubito, quin cæteri in optimam tracturi sint partem, quæ à VOBIS probata erunt, exemplo Hectoris apud Homerum, dicentis;

Lætus sum laudari abs Te laudato Viro.
Cæterum deinceps vigilantissima devotione enitar, ne tantæ Gratiæ atq; Favoris memoriam oblivio obruat, tantoq; magis laudes Vestras implere gestiã, quantò humanius faveatis dotibus naturæ. Sera fit illa dies, quæ Vos eximat mortalibus!

Scrib. Witteb. ex musæo de I. Nov.

Anno 1670.

V. V.

PER-ILLUST. GENEROS.^{is}

ac

NOB. MAGNIFIC.^e

humillimus atq; obsequiosus
Cliens.

JOH. JOACH. MÜNCH.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO
JURIS PUBLICI
De
REGE ROMANORUM.

PRÆFATIO.



Ta sumus compositi, ut unum-
quemque aliquod studium tra-
hat. Belli pacisque; artibus niti-
mur ad summa, nec hæ ubique
sui admiratores inveniunt si-
millimos: Singulis etenim stu-
diis singuli dant sua nomina. Nec perversam
instituit rationem natura: quippe felicius ad-
discuntur ea, quæ cum discentis ingenio maxi-
mè conveniunt. Conatum quamvis cætera egre-
gium atque rectum (si nativæ repugnaverit in-
doli) destituet eventus, naturaliterque id quod
procedere non potest, recedit. Sunt qui Juri Ci-
vili tantum gnæviter litant, nec ideò Jus Publi-
cum suis destituitur cultoribus, ut scilicet eu-
jusvis genius moresque; ferunt. Non ignoro equi-
dem,

A

dem,



dem, quod Juris Publici doctrina Aulicorum
suffragio excludatur Academiis. Sit: Romanas
tantummodò leges intricatas maximè obsole-
tas anxia pensabimus æstimatione, quid com-
modi exinde in publicum? Lites controversi-
asque in Imperio Romano Jure Civili saltem di-
rimi posse, nemo, nisi, cui prorsus literarum ex-
perti munera Reip. obeunda factorum transtu-
lit ludibrium, asseret. Non tamen isti sine ar-
gumentis suam jaçant prudentiam? Ad fucum
certè atque pompam supponunt Regum Prin-
cipumque Aulas, in quibus, tanquam verâ & li-
berali scholâ tyrocinium publicæ lucis, juris
studioso ponere liceret, Gratias habeant Respu-
blicæ tam benè consulentibus. In perfectum ex-
urgent robur sub talibus moderatoribus, qui
spretâ justâ maturâque Juris Publici cognitio-
ne, ex ingenii felicitate metiuntur, quid pro-
fit, quidve noceat Reip.; quasi Dii eò ipsò quò in
publicâ luce vivere cœperint, tantam indolem
tam faciles concederent. Non nego arcana Rei-
publ. callidasque artes, quibus ipsa novatorum
machinas eluctatur, scholasticorum supergredi
captum: Quin imò si quis in Academiis præce-
pta universalis, quæ Reip. statum salvum atque
incolumem conservent, cum supercilio dare
non

non erubescat, exponetur risui. Principia potius Juris Publici, Jus scilicet N. Gentiumque, ac prout ipsum ex A. B. Constitutionibus Principum, Recesibusque Imperii suam traxerit originem, exponere fas est. Parum autem laudis habet, infixum inhærere libris ac monumentis veterum, nisi sapienter dicta vertantur in succum & sanguinem. Ideò tandem animum tenerum civili prudentiâ præparare debemus, ne, cum à Principe negotiis adhibemur, in ignotum quasi orbem delati esse videamur; nam sterilia ingenia, ineptaque negotiis, sæpè publicis rebus nocuisse quis non expertus est? Quapropter cum diu sederit animo, ex parte testari, me haud planè degenerem in hac Republ. literaria vixisse civem, Thema Juris Publici, maximeque accedens ad genium seculi, breviter simplici que stylo tractare consultum duxi. Sic itaque sermo de REGE ROMANORUM. Quod felix faustumque esse jubeat Numen sanctè obsecror.

§. I.

Romanorum Rex est, qui ab Electoribus vivo adhuc Imperatore eligitur, ut Eodem absente, vel aliàs impedito, imperium administret, rerumque momenta ab ipsius arbitrio, tanquam ex Imperatoris pendeant, mortuo deinceps Imperatore, non iteratâ electione aut suffragiis, in Imperatoriam dignitatem, velut justam hæreditatè succedat,

A 2

Re-

Regis nomen quamvis antiquissimum, quondam tamen valde inuisum Romanis fuit, unde Tacit. libr. 1. Annal. Augustum non Regio neq; Dictaturæ, sed Principis nomine Remp. constituisse, scribit. Et qui olim spem seu Jus succedendi habebant, non Reges, sed Principes Juventutis dicebantur, ut est apud Dionem: Hæredes item & Consortes Imperii; apud Svetonium. vel Augusti & Cæsares; apud Ammianum. Wilhelm Becker in Synops. Juris Publ. lib. 2. c. 6. p. m. 89. Tandem vero sub Imperio Francorum vox hæc quoque in Imperio Romano invaluit, uti ex Job. Reinhard. in Chron. Hrbipol. refert Linneus lib. 2. Jur. Publ. c. 1. num. 29. In Anglia Regni Successor dicitur Rex, seu Princeps Walliæ, in Galliâ Delphinus. In Regno Hispaniæ Princeps Austriæ; In Scotia Princeps Scotorum. In modo tamen constituendi à nostro differunt; cum illi Juri hæreditario ac nascendi sorti, hic suffragiis Electorum dignitatem regiumq; fastigium acceptum ferant.

§. II.

Exordimur à definitione, quæ & genuinam rei explicat naturam, & à perplexo sensu redimit vocabulum. Est idem interdum Romanorum Rex ac ipse Imperator; quæ acceptio in A. B. occurrit perpetuò, quod & contextus ostendit, & auctoritate confirmatur *Philippi Andreæ Oldenburgeri in Limneo suo enucleato p. m. 171.* Pontificii illum Romanorum Regem vocare solebant, qui ab ipsis quidem Electoribus solenniter per electionem Imperio destinatus erat, à Pontificali autem manu coronam nondum acceperat. Ita *Adrianus ad Friedericum I. Imperatorem: Romanum Imperium à Grecis translatum ad Alemannos, ut Rex Teutonicorum non, antequam ab Apostolico coronaretur, Imperator vocaretur: Ante consecrationem Rex; post Imperator: unde igitur habet Imperium, nisi à nobis? Ex electione Principum suorum habet nomen Regis, ex consecratione nostra habet nomen Imperatoris &c.* Dan. Otto, *Diss. de Jur. publ. c. 10. p. m. 280.* Dicitur & ille Romanorum Rex, qui remotò ab Imperio Imperatore, aut suâ sponte summam abdicante potestatem, Imperio præficitur, *Oldenburg, dict. loc. p. 170.* Multifariam acceptio-

ptionem vocabuli Regis Romanorum explanarunt dicta;
Sed nobis integrum erit differere de REGE ROMANO-
RUM, qui vivo Imperatore Imperii Successor atq; hæres
jure comitorum renuntiatur.

§. III.

Decidemus litem cur Romanorum, non Germano-
rum Rex communiter appelletur? Ab Imperio sortitur no-
men: quia Imperii Romani successor est, Romanorum Rex
merito dicitur. Sed quamobrem vocamus Imperium Ro-
manum? Inconsultæ plebis iudicio imputat *incomparabilis*
Conring. Trium olim Regnorum sceptrâ obtinebat Impera-
tor, (1) Germaniæ, (2) Italiæ, (3) Romani; Hoc dignitate atq;
Excellentiâ cætera præcellere veteres reabantur Germani,
atq; inde à Conradi III. & Frieder. I. ætatibus Romani Im-
perii nomen usu atq; consuetudine adolescere cœpit, quo
sanctiori cultu omnes gentes adorarent Regnum, deferre-
turq; veneranda ipsius existimatio illibata ad posteros. Tran-
sit iste loquendi mos in ipsos Imperii Reccessus: Eò enim fa-
cilius istum titulum amplectebantur Patres Imperii Romani,
quò majus decus & ornamentum occultâ aliquâ vi asseri ipsi
Germaniæ Imperio putabant: Quippe vivam Romanorum
fortitudinem, invictissimasq; Imperatorum antiquorum vi-
res adorarunt longè latèq; gentes; Ad ipsius saltem Imperii
Romani nomen armorum rabies expirabat; quiq; diu incas-
so nisu inevitabilem eluserant vim, reverentiâ tantæ potesta-
tis ac fortunæ in contrarios degenerabant affectus, obnoxii-
asq; cervices tantæ præbebant magnitudini. Ac prout Re-
gnum quoddam nihil pestilentius sidus afflare potest, ac fi-
fatò seculi gentiumq; invidiam atq; contemptum subire con-
tingit: Sic nullò tutiori fundamentò nititur, quàm si poten-
tia ipsius à pluribus Regibus ac terrarum Dominis timeri in-
cipit, veneratione crescit, vetustate commendatur posteri-
tati.

§. IV.

Extra omnem controversiam est, nullam extare consti-
tutionem, quâ Germaniæ Imperium Romanum appellare ju-
bemur:

bemur.: imò per prima X secula nullibi legitur Germano-
rum Imperium dictum Romanum, *Andr. Philipp. Burgoldensf.*
in Discurs. ad Instrum. Pacis part. 1. Disc. 4. p. m. 165. D. Dieterich. in
not. ad A. B. p. m. 9. Rumelin. ad A. B. Diff. R. O. 5. §. 5. p. 26. Dan. Otto
c. 5. p. m. 100. Severinus de Monzambano de statu Imperii Germanici
c. 1. n. 14. ibiq. Autor notarum & c. Nocuit equidem titulus iste Im-
perio. Monzamb. dict. loc. n. 15. & in not. p. 419. Mutari tamen non
debet. Burgoldensf. p. 169. Hinc Regis nostri appellatio meritò
orta fuit. Ast qui asserit ipsum nomen aliquatenus ulu ac mo-
re populi invaluisse non adeo errabit: nam diuturna atq; in-
veterata hominum consuetudo currentibus seculis, in legem
quasi abiit, & quod olim ut consuetudinem in felicis Reip.
omen veneratæ sunt gentes, nunc tanquam sanctum atq; in-
violabile jus immutari vetant. Præterea tamen & Germa-
niæ Regem vocari testantur Recessus Imperii d. anno 1542. spir. in
princ. Recess. Imperii Norimb. de anno 1542. in princip. Recess. Imp.
Ratisbon & Spir. de anno 1557. in princip. Carpz. ad L. Reg. c. II. sect.
4. n. 6. Oldenburg. in Limn. enucl. p. m. 171.

§. V.

Cæterum mos iste eligendi Romanorum Regem ex anti-
quâ consuetudine ad nostrum devolutus est tempus. Exem-
pla certe veterum seu virtutum seu vitiorum antiquo præal-
toq; affectu insinuantur animis nostris, multoq; efficacius fa-
ciunt quam præcepta Politicorum, vel ad conservandam, vel
ad deflorandam Reip. felicitatem. Paucis cœli favore datum
est, de suo tantum consulere salutem communi, ac suò auspiciò
labantem rerum statum restituere sanitati, nisi ex morum in-
stitutorumq; contemplatione hauriant civilem prudentiam,
& ex præteritis eventibus, consiliis & factis clarissimarum
Rerump. de præsentibus futurisq; rebus sapienter ordinandis
rectè meditentur consultantq;. Hæc sapienter imitentur
hodierni Imperii Romani conservatores. Sistant sibi exem-
plum Galbæ, L. Pisonem Cæsarem designantis, compertâ se-
ditione Vitellii. *vid. Bechman in lib. de notitiis dignitat. Illustr.*
Disp. 2. c. 1. Callidè certè Galba de futurò conjecit, quod mi-
noris utcunq; Reip. incommodo regnare possit electus quam-
vis

vis non adeo felicissimæ indolis, quam post obitum orienti-
bus turbis eligi dignus. Senatus paulo post Vespasianum
Imperatorem, filios verò Titium & Domitianum Cæsares
renunciavit, *id. dict. loc.* Recentiora exempla sunt in Otton.
II. Henricis IV. & V. Conrad. I. & aliis, quibus ex fundamen-
to refutatur illorum sententia, qui ad Caroli demum IV. tem-
pora originem hujus rei referunt, *Oldenb. dict. loc. p. 171.* Recen-
tissima exempla perhibent Ferdinandi III. & IV. *vid. Matth.
Steph. de Jdict: lib. 2. part. 1. c. 2 p. m. 73. Job. Henricus Bæclerus de
notitia S. R. Imperii lib. 4. c. 2. p. m. 67. Burgoldensf. ad Instrum. Pacis
part. 3. Discursu 4 p. m. 27.*

§. VI.

Constituemus differentias, quibus ab Imperatore ipso
discrepat. Variæ sunt notæ, dabimus paucas. Imperator in
insigniis Aquilam gerit duplicem aut bicipitem: Romano-
rum Rex simplicem. Imperator Regi Romanorum tribuit
titulum *Seiner Liebden. R. A. zu Speyer. anno 1544. §. und die-
weil wir aber: Rex autem Romanorum, adscribit quandoq;
Majestatem solam, R. A. zu Speyer d. an. 1542. §. damit auch
solche Ordnung: quandoq; Liebden und Majestät conjunctim Or-
din. Camera p. 455. Rex Romanorum Imperatorem Domini ti-
tulo insignit, Rec. Imp. d. anno 1555. §. solches alles und jedes wie
ob geschrieben. ibi: Kayserslicher Majestät unsern lieben Bruder
und Herrn: à qua hono: is mentione Imperator abstinet. Ad-
de Imperatorem re & actu Imperio præesse: Romanorum Re-
gem spem succedendi certissimam habere, & nihil posse, nisi
absens vel impeditus fuerit Imperator.*

§. VII.

Non parum certè emolumentum atq; felicitatis ad Impe-
rium Romano-Germanicum redundat, si vivo Imperatore
Imperii Successorem dicunt comitia Electorum. Multa sunt,
quæ electionis utilitatem vivo Imperatore conciliant, quorum
præcipuum forte est ambitus exulceratorum animorum exar-
mandus, ne in Regni spem audeant ipsam Romanam Remp.
violare: Quin imò certum ipsi propter partium studia accer-
situr periculum eligendi libertate. Nefas equidem atq; pia-
culum

culum est, eligentium fidem & animos in dubium vocare, quasi non optimum quemque & ad regnandum idoneum eligere allaborarent: Absit nefandum iudicium. Sed eandem felicitatem sperari putes, ubi res ob insperatum Imperatoris obitum fuerint in discrimen redactæ? Multi potentiâ præcipui, tumultuariâ electione regnum se posse consequi sperarent. Dum ideoque gentes subitis motibus inciperent ardere, quam difficillimum foret in turbulentâ tempestate, ab armatis & ad sedandas turbas intentis, consilia exigere quæ compositi dedissent? Pone, vivo Imperatore prudentissimum ipsique simillimum virtute Imperii gubernatorem solenni pronunciari ritu, annon multis excidet improba regnandi spes? nonne parturire erubescunt motus, quos matura Principis recentis Prudentia unô momentô componeret? Politici docent, interesse Reip. ne successor in incerto sit. Sensit id Sapientissimus Rex David, Salamonem per Sacerdotem ungi procurans, & fundamentum atque basin stabiliens, dum ipsemet adhuc esset in vivis, ne Adonia ambitu accensus in regnum sese assereret. Imò nisi sapienter excogitatis consiliis facta illicò adjecisset, actum fuisset de communi re.

§. VIII.

Est & Politicorum dogma, Principum mortem quantum fieri potest, celandam esse, ne res regni turbentur. Agrippinæ fama atque laus adhuc in ore hominum vivit, quod Claudio Cæsare extincto cunctos aditus custodiis clausit, sæpiusque vulgaverit, ire in melius valetudinem Principis, quo miles bonâ in spe ageret. *Tac. lib. 12. Ann. c. 68. n. 1.* Valentiniano Cæsare fatô functô, Merobandes, ne Gallici milites temere molirentur seditiones, pressio Principis obitu, Sebastianum favore militum superbientem, & ideò maximè timendum fulgur, in remota delegavit loca, ocys quoque Valentiniani filium quadrimum lecticæ impositum in castra adductum, sexto post Parentis obitum die, Augustum solenni more nuncupavit. *Ammi: Marcell. l. 30. Forstn. ad Tac. lib. 1. c. 6. n. 5. p. m. 18. & 19.* Quantô igitur magis ex re Imperii Romani esset, valentè optimè adhuc Imperatore eligi dignissimum, qui ad clavum
Reip.

Reip. sedeat, & sic præcavere malo, quod Imperatoris pare-
ret aliàs obitus? Hæc ratione non opus foret celare mortem,
sed solum modo occupetur: Supervacaneum erit optare qui
imperet; sed eo ipso gubernabit qui visus fuit dignus, ac tanto
oneri par prudentissimo Senatui.

§. IX.

Sunt qui plane à nobis abeunt, utentes rationibus ali-
cujus eque ponderis, sed quæ caput rei haud tangunt.
Negant viventis hæreditatem esse *l. 5. C. d. pact. qvent.* non ex al-
to quærenda erit responsio, modo legum civilium autorita-
tem ponderemus, quæ incommode plane allegantur, ubi ne-
gotia statum hodiernum publicum contingentia, decidenda
veniunt. *Vid. Hyppol. à Lapide in præf. ad Lect. Olden-
burg in Limneo suo enucleato p. 2.* Tantum abest ut erroris argua-
mus legem, relinqvimus ipsam suo sensui. Negari tamen
haud potest, spem aliquam certam atq; incorruptam futuræ
constitui posse successionis, civilium quoq; legum consensu,
L. 18. ff. d. adopt: §. fin. Inst. d. legit. agnat. success: Romanorum Rex
non eligitur, ut Imperatoris viventis hæreditatem actu possi-
deat, sed ut eo mortem obeunte, relictum atq; vacans ob-
tineat Imperium.

§. X.

Periclitari qui arbitrantur autoritatem Imperatoris,
cunctis orientem adorantibus solem, ad factum respiciunt,
idq; saltem, quod ex accidente fit considerare solent. Haud
latet, Cæsarium temporibus grande nefas fuisse, ac morte pi-
andum, si quis ex fatidicæ artis ludibrio in Principes quære-
ret. Historiis traditum est, Furium Scribonianum exilio de-
disse pœnam, quod de Principis obitu rerumq; ipse exitu
Chaldæos interrogaverit. *Tac. l. 12. Ann. c. 52.* Valens Impera-
tor publico edicto jus sit capitale sumi supplicium de omni-
bus, qui de successore spiritus consuluerant; nec modo qui
consuluerant, verum etiam qui auditum istud facinus pres-
ferant silentio. *Forstn. ad Tac. L. 2. Ann. p. m. 153. & seqq.* Refuta-
mus hæc: Non legitimè designandi futuri successoris mos,
sed divinandi improbatur genus. Antiquissimo enim tempo-

re successores renuntiatos fuisse, supra probavimus: Vaticinia autem culpam luisse morte ex *Fried. Lindenb. probat Forstn. d. loc.* Apud Visigothos flagellis casus cum omnibus bonis Fisco addicebatur, qui Principis natalis obitusq; fata ex confusis oraculis, aut incerto siderum influxu cognoscere aude-
ret. Inde etiam de Mathematicis Magisq; Italiã pellendis facta *SCra. eorumq; e numero L. Pituarus Saxo dejectus est, Tac. lib. 2. Ann. c. 32. n. 5.*

§. XI.

Nec injustè; quippe incondita plebs superstitione tanquam affectã valetudine plerumq; laborat; Et sic facile fieri potuisset, ut ad seditiones civiles populus prolapsus maturavisset obitum Principi, si dubia oracula sciscitans, aliquid de successore Principe præcipuè bono recognovisset. Ea certè ingenii humani natura atq; conditio est, ut non patiatur moram futuræ felicitati, quamvis in exitum sui. Sapienter ideoq; consuluit Nicopompus Consiliarius Regi Siciliæ Meleandro, ut Chaldæum in Regis fata inqvirentem auxiliõ siderum, regione expelleret: Non esse, inquit, ex Regis Majestate, ut anxie sui natalis & mortis fata respiciat. *Job. Barcl. in Arg. lib. 2.* Et posito ipsam etiam electionem improbari simul, idem tamen responderi potest, quod ad exemplum Elisabethæ Angliæ Reginae.

§. XIII.

Hæc de novo successore eligendo admonita à statibus Regni, nolle se, respondit, in vitã sibi strui sepulchrum: ideoq; anno 1581, convocatis populi Ordinibus, prohibitum est sublæsæ Majestatis crimine, ne mutuo commercio de successore sermones miscerent. *Bodin. l. 6. d. Rep. c. 5. p. m. 1131. Qui sententiæ ReinkingI in tract. de utroq; Regim. lib. I. Cl. 3. c. 14. n. 10.* Suffragantur, & electionem vel dissentiente regnante repudiant, nullo negotio inveniunt, quod reponi possit. Negabunt scilicet, contra se illud exemplum opponi, qui et ipsi in eã sunt, opinione, quod

quod invito Imperatori successor obtrudi nequeat. Qui autem tali etiam in casu electionem licitam putant, exempla auctoritatesque non admittunt, solis pugnantes rationibus. Aut si sibi vindicent auctoritatem, parem habebunt ex parte utraque: Exemplis reprobantibus, opponimus exempla eorum, qui sine periculo & cum magno regni commodo de successore solliciti fuere. Ratio Reginae examinabitur in §. seqq. Quinimo ipsa quoque Elisabetha paulo ante mortem, Jacobum V. Scotiae Regem Successorem designavit, & ad eum hereditario jure Angliae coronam pertinere, coram Regni proceribus contestata est. *Gualth. in Chron. Ecclesiast. Polit. sub. An. 1603. Reinking. de loc. n. 39.*

§. XIII.

Ceterum adversarii ad corroborandam suam sententiam objiciunt votum captandae mortis vitaeque insidias. Concedimus facile esse, qui speretis, quae tadâ cum securitate praematura vel cum exitio properant. *Tac. l. 3. Ann. c. 66.* Concedimus etiam occurrere in Historiarum monumentis, quibus id crudele omnino extitit. *Vid. Commineus l. 4. c. 1. Hist. de Adolph. Geldria Duce.* Sed quis non animadvertit haec accidentario accidere, quotiescumque accidunt? Detestabile certe facinus de personis publicis & prudentissimis electis ejusmodi praesumere: Quid quod? Dignus est malo omine, qui negat eligentium vota atque studia sic integra esse, ut in eo, quem destinant Regem, solam respiciant virtutem, absolutissimamque civilem prudentiam, quae ab arte regnandi abesse nequaquam potest, quaeque consilia ad effectum absolutam felicitate traducit. Quamvis eadem in rebus humanis nihil ad pulchritudinem suam sic exactum, in quo non aliquid desideres velut ultimam artificis manum, nec ad publica commoda quicquam sic ponderatum, ut undequaque sit utile. In comitiis quantum in eligentium potestate situm est, regno destinatur subjectum regni capax, & quod summæ rerum felicissimè sapienterque praesert. Nec sine scelere atque periculo de electo sinistrè sentire

1
tire licet. Procuret quod suum est, feramusque sortem, quam
Numina dederunt. Hinc non habent, quod arguent adver-
sarii justissimum antiquitatis ritum. Idem metus atque suspi-
cio in successione populos suspensos teneret, vix tamen quis-
quam eam esse æquum Imperii genus inficiabitur. Idem pe-
riculum est in Feudi expectativâ, quæ propterea à Feuditis
non rejicitur: Et quid est in usu hominum bono ac licito un-
de non possit pernicies irrogari *Dn. Georg Adam. Struv. c. 7. Jur.
Feud. Tb. 5. n. 4. p. m. 228.* Exemplis iterum exempla contraria
opponimus.

§.XIV.

Multum inde detrimenti capere Electorum Principumque
libertatem nonnulli sibi falso persuadent: Imò pessimè do-
cent isti. In summa felicitate procerum libertas posita est, si
liberrima instituat electio, ubi unicuique licet sentire quæ ve-
lit, & dicere quæ sentiat, quanquam vivo adhuc Imperatore.
Si dixerint amore præcipue atque reverentiâ Imperatoris com-
poni vota judiciaque (& ut clarius ipsorum exponatur error) si
senserint Illustrissimum Senatam, impetu, favore, atque pla-
cendi studio transversum agi, ut non virtuti aut optimè me-
renti servetur summa dignitas, sed ille cæteris præferatur, qui
ipsi Imperatori fuit probatus. Hanc foventes sententiam
quamvis impiam, in permiscendo statu controversiæ profe-
cto ludunt, cujus utique diversissima ratio est. Nostra opinio
est prodesse Reip ut salvo rerum statu facillima excogitentur
remedia ad publicam sanitatem, i.e. ut vivo Imperatore eli-
gatur caput, ex quo vires sumat salus publica, ad declinan-
das scilicet olim futuras difficultates: Quod argumentum
nempe in præsentiarum agitatur; Illi favorem Imperatoris
atque autoritatem indignissimum quemque & plane à naturâ ad
regnandum inutilem, ad hoc extollere fastigium præsuppo-
nunt: Quæ certe longè alia quæstio, nobisque planè intacta.
Concedemus etiam ex largo, obitum Imperatoris fræna la-
xare eligentibus: Ast verò non quælibet libertas salubris
Reip.

Reipublica existit, imò interest salutis publicæ, ne libertas in effrœnem degeneret licentiam. Sunt non pauci Politicorum, qui afferunt constanter: Poloniam summa discrimina turbas atqve seditiones soli nimia eligendi libertati debere.

§. XV.

Minimè porrò electionem necessitatem svadere ideò arbitrantur, cum interregni tempore Imperii Vicarii omne malum impetumqve hostilem retardare possint. Totum istud ipsis largiri possemus; quippe quod non absolutè necessarium, sed ex re Imperii esse, eligere Regem Romanorum diximus. Malumus tamen in hoc negotiò *Consummatissimi Juris Publici Doctõris H. Conringii uti verbis in Doctissimis ad Lampadium notis pag. 302. Et si verò, inquit, cautum sit in A. B. ut durante interregno à duobus Vicariis Respublica administretur, facilè tamen apparet, momentaneam istam (ut ita dicam) dignitatem non pollere illà auctoritate, quæ tam vasto Imperio regendo par sit. Et proinde Vicariatu illo duplici prohiberi non posse, quo minus durante interregno Imperium disidiis & motibus civilibus, potissimum autem externis armis sit expositum.*

§. XVI.

Ad personas progredimur, quæ Regem Romanorum constituendi jure gaudent: ab officio Electores: à dignitate dicuntur Principes. Quorum olim numero VII, hodiè autem VIII. sunt, postquam per Instrumentum Pacis Osnabrug. Monast. art. 4. verb. Quod ad Domum Palatinam &c. in Carolo Ludovico Comite Palatino sunt aucti. Ecclesiastici sunt tres, Moguntinus per Germaniam. Trevirensis, per Galliam

& regnum Arelatense : Coloniensis per Italiam Archi-Cancellarius : Et secularium quinque, Rex Bohemiæ ; Sacri Imperii Archipincerna : Bavarus Archidapifer : Saxo Archimarschallus : Marchio Brandenburgicus, Archicamerarius : & Comes Palatinus Rheni, Archithesaurarius; *vid. Andr. Burgold, ad Instrum. Pacis Osnab. Monast. part. I. Discurs. 24. p. 411.* Et quamvis antequam ita in conventu tractatum Pacis esset ordinatum, Statuum legati missi Londinum ad Carolum Ludovicum Electoris titulo ipsum honorarunt : Protestati tamen hoc modo sunt, daß us den Fall der nicht erfolgender approbation zum Frieden-Schluß besagtes Prædicat S. Kaysersl. Majestät / und dem Reich vorbehalten seyn solle. *Theat. Europ. Tom. 6. p. 606.*

§. XVII.

Præter Germanicam nationem eligitur nullus : Nullus enim in Regem Romanorum evehi potest, qui non Imperator esse possit. Neminem autem Imperatoriâ Majestate dignum censerit, qui Germanus non est, jam olim probabatur. Scilicet post Maximiliani I. excessum (excesit autem Welfæ in Austria superiori A. C. 1519. d. 12. Jan. anno ætatis 59. mens. 9. d. 19. postquam cum Patre imperasset annis VII. solus annis 25. mensibus ferè V. *Christ. Matth. in Theat. Hist. Polit. p. m. 1028.*) vehementer agitata hæc quæstio fuit inter Moguntinum & Trevirenses, ille à Caroli V. hic à Francisci I. partibus stabant. Postquam igitur semel iterumque, & ab utraqve parte darentur solidæ rationes, unanimi tandem consensu atque suffragio lata est sententia : Imperium Sacrum penes solos Germanos debere remanere, nec posse Imperii decus ad extraneum deferri, ne illius decus amitteret Germania, & externa natio paulatim illud usu caperet. Multum refert, subditorum mores benè explorari, nec per omnes virtutes semper ire Principi licet. *Magnificus Dn. Zieglerus d. Regicid. Angl. Regis p. m. 7.*

§. XVIII.

Quippe plurimorum populorum varios genios impetusque animorum curiosâ diligentiam posse distingvere, res adeo publicæ utilitatis est, ut florentissimus status sub Principe cætera optimo, sed ignaro quò spiritu teneantur subditi, labefactetur ac corruat. Singuli certè affectus singulas agunt civitates. Princeps abjectis ingeniis & ad servitutem natis imperare asvetus, vix ac ne vix quidem obtinebit, ut liberi ipsi obnoxio ingenio sint facilesque præcipienti; imo potius publicam salutem suo casu obruet, & vice versâ. Ipsæ & virtutes exuant suam naturam necesse est, sin alias accommodentur seculo atque genio populi. Meleander Rex Sicilia prudentiam equidem nemini Regum inferior, Documentum mortalibus reliquit, quod quantumvis optimæ & egregiæ virtutes in aliquo Principe velut in uno cælo stellæ conuenerint: ignorare tamen naturam subditorum, & prudentiam suam exigente rerum articulo, ipsi seculo non accommodare, inevitabile Principi Reipublicæ præfagiat fatum. Sicilia Regnum in eam certè excreverat magnitudinem, ut nullæ tempestates, nulli casus ipsam expugnare valuerint; Nisi nimia Principis lenitas ad peccandum populo illecebras dedisset. Erat enim gens ad ferociam nata, nec solo virtutis amore aut dedecoris metu dessectebat ad recta, usque dum supplicia sceleribus constituta lascivire vetarent. *Hinc Politissimus Barclajus in Arg. l. 1. p. m. 28. historia Epipbonema subjungit, ita scribens: Multæ virtutes in vitia degenerant, & quod magis est, sæpè videas eosdem affectus pro temporum sorte atque genio populi nunc virtutes esse nunc vitia. Ex his satis probatum datur, haud facillè fasces Regias sine detrimento Reipublicæ alicui extraneo deferri posse.*

XIX.

Constringitur quodammodo, Electorum libertas, non tollitur; quæ & tunc libera est, ubi ad certam gentem restringitur.

stringitur. Nimiam eam interdum periculosam esse, supra monitum fuit. Falsò concluditur patriam potius quàm virtutem ponderari: Dantur etiam in Germania, qui ex virtute Imperium obtinere possunt: Pessimè infertur, Germanus eligitur, ergò non virtuosus Imperio præficitur. Satis fertilis Germania nostra est prudentissimorum Principum. Cur, inquit, omnibus imperaturus, non de omnibus eligitur: omninò de omnibus eligitur, quibus imperat. Germanis imperat, ex Germanis à Germanis eligatur Germanus. *Vid. Petr. Heig. quest. 4. n. 9. Reinkingk. de utroque regimine l. 1. class. 3. c. 4.* Qui enim ostendit non nativitatis locum sed Parentes attendendos esse, ita ut Germanus non absurdè vocetur, qui Parentibus Germanis extra Germaniam natus est. Pater Friederici II. Imperatoris, licet in Siciliâ natus, quia tamen Henricum VI. Imperatorem Patrem habuit Germanum, ad Imperium fuit admissus.

§. XX.

Nondum eligendi Romanorum Regis qualitates absolvimus: Contra experientiam scribunt, qui determinatam ætatem strictè servandam asserunt: Nam Otto III. admodum puer; Henricus III. duodecimo; Henricus IV. octavo; Friedericus II. vigesimo: Wilhelmus Wenceslaus decimo quinto. Carol. V. decimo nono ætatis anno in Reges Romanorum electi sunt. *Dan. Otto. Diff. Jur. Publ. c. 8. p. 159.* Externa corporis forma ac splendor, utut multum conferat Majestatis ac reverentiæ, adeò tamen non requiritur, ut indignum sceptris censeamus, cujus pulchritudo & membrorum elegantia paulò deflexerit. Id largimur facilè consultius esse, opulento fasces Imperii committere quàm egeno: Cum nec Romani quenquam ad Magistratum admiserint, qui non per 4. annos propriis vixisset bonis *Val. Max. l. 4. c. 4.* Respexit eò etiam Carolus V, cum fratrem suum Ferdinandum Regem designaret Romanorum: Qui sit, dicit, magis ad eam provinciam idoneus, fratre suo Ferdinando Bohemiæ Ungariæque Rege, nullum se novisse alium: Hujus enim fines atque regna jam esse
veluti

veluti murum aliquem pro salute totius Germaniæ opposi-
tum immanitati Turcicæ.

§. XXI.

Quàm proluxi aliàs sint Politici in Principe formando,
hîc explicare non decet. Certè tot præscribunt virtutum spe-
cies, ut dubitare liceat unquam fuisse Principem, qui o-
mnibus responderit: adeoque fingere magis licet & opta-
re quàm sperare, eò præsertim seculo, quo optimus dicitur
ille, qui sine malitiâ virtuosus, qui sine vitio Rempublicam
utcunque administrat: omninò difficile esse, dare omnes vir-
tutes, quibus stipatus felicissimè regnet: Multum in hoc ne-
gotiò sibi transcribit natura & ingenium hominis, qui in ipsis
etiam societatibus formandis & conservandis attendi in pri-
mis vult & examinari. DEI omninò religiosissimus sit cul-
tor, cujus Vicarius est & minister, cæteras & sectetur virtutes
omnes, quoad fieri potest, & quoad non resistunt incorrigibi-
les subditorum mores. *Conf. Magnif. Ziegl. d. loc.*

§. XXII.

Locum considerabimus, & qui olim electioni assignaba-
tur, & in quo hodiè ea fieri potest. Certum est olim præcisè
Franckfortensis Civitatis rationem habitam fuisse, quæ præ
reliquis ob loci commoditatem, annonæq; affluentiam ido-
nea censebatur; factum inde, ut dubitaretur olim, justè ne
electi essent, alibi qui electi erant: quod contigit circa Carol.
IV. Imperatorem. Cuspin. in Carol. IV. p. 302. & Ferdinandum
I. Colonia electum. Sed vel sola Ratisbona testis esse potest,
alibi Romanorum Regem, quam Franckforti eligi posse. In-
bi enim Maxim. II. & Rudolphus II. ut & Ferdinandus III. ele-
cti fuere. *Thuan. l. 31. & 60. Carpz. ad L. Regiam c. XI. sect. 9.* Et si
hodiè sit eligendus Romanorum Rex, (esset autem fortè omni-
nò id utile imperio) quàm commodissimè ibi electio fieri po-
terat, ubi adhuc plurimorum statuum Legati ac deputati in
comitiis degunt, ut multis sumptibus parcere possent ii, qui
vel ipsi alio proficisci vel legatos mittere debebant. Quæ in A.
B. proponuntur, necessitatem nullam imponunt, nisi præmis-
sis omnibus seu eorum alicubi impedimentum legitimum ob-
via-

viaret, quod in peste, bello, aliisq; incommodis consistere potest. *Conf. Rummel. ad A. B. §. 16. ibiq; addit. & part. 3. Diss. 6. §. 5. cum addit. D. Dieterich. in not. ad A. B. c. 28. p. m. 116.*

§. XXIII.

Quæ solennia observari vel soleant vel debeant, difficulter hîc explicatur, cum parum de iis reperiamus apud Scriptores. Perspicua equidem sunt, quæ habentur in *cap. 2. A. B.* verum ut alibi monitum fuit, omnia quæ proponuntur ibi, non de Regis Romanorum, sed Imperatoris loquuntur electione; Licet plurima eorum etiam hîc accommodari possint facile. Interim totus actus, quo Ferdinandus III. Romanorum Rex electus est, videri potest *apud Carpz. ad L. Regiam c. 21. sect. 9. n. 25. p. m. 730. vid. Limneus l. 1. c. 23.*

§. XXIV.

Quando eligitur? Quæstionem hanc ex A. B. decidere conantur plurimi: Qui enim sentiunt omnitempore, quo necessitas id postulat, etiam vivo adhuc Imperatore electionem procedere, provocant *ad A. B. cap. 1. pr. verb.*

Quotiescunq; & quandocunq; futuris temporibus necessitas, s. casus electionis Regis Romanorū &c. Dissidentes, & electionē ad vacantis sedis casum restringentes c. 4. A. B. allegant §. 2. verb. Quoties & quin deinceps sacrum vacare continget Imperium. Nos priori sententiæ subscribimus, quâ asseritur, vivo Imperatore Romanorum Regem eligi posse: Probationes autem ex A. B. non petimus, quæ ut jam dictum, non eo sensu Romanorum Regem vocat, quô nos. Exempla quæ remotiora sunt, alibi legantur: Sufficiant ad rei fidem faciendam novissima Ferdinandi III. & Ferdinandi IV. quorum Ille vivente Ferdinando II. Ratisbonæ d. 15. Xbris A. 1636. Hic spirante adhuc Ferdinando III. Aug. Vindel. d. 8. Jun. A. 1653. in Reges Romanorum electi sunt. *vid. Oldenburg. Limneus enucleatus p. 171. seq. Rumelin. ad A. B. Dissert. 2. thes. 9. p. 51. & seq. Carpz. ad L. Regiam C. XI. sect. 3. pag. 689. seqq. Mat.*

Matthaus Stephani de Jurisdictione l. 2. p. 1. c. 1. n. 110. p. m. 18. Dan. Otto. Diff. Jur. Publ. c. 15. p. m. 519. Heigius Part. I. quaest. 6. n. 42. Reinkingk. de utroq. Regimine l. 2. Class. 3. c. 14. qui ad contraria respondet. § n. 28. cum Ottone p. 519. Imperatoris requirit consensum; cui contradicit Limn. in not. ibi: quo pertinere videtur capitulatio Mathiae Franckof. d. 18. Jun. A. 1612. art. 35. & 36. quae Electoribus m. invito Imperatore Regis Romanorum electionem concedit, in verb. Wir deßgleichen unsere Kinder / Erben un Nachkommen / sollen und wollen die gemeldte Churfürsten / ihre Nachkommen und Erben zu jeglicher Zeit / bey ihrer freyen Wahl eines Römischen Königes / dieselbe so offft sie es einem Käyser zu Hülf / oder sonst dem Heil Römischen Reich nothwendig und nützlich befinden / auch bey Lebzeiten eines Römischen Käyfers / mit / oder wenn derselbe / auff eingelegte Bette der Churfürsten ohne gnugsame erhebliche Ursachen geweigert werden solte / ohne einiges regierenden Römischen Käyfers consens fürzunehmen / geruhiglich bleiben / und ganz unbedrengt lassen.

§. XXV.

Ritè ita electus, non incongrue Imperii dicitur vicarius, qui Imperatoris absentis, aut aliàs impediti nomine Imperium regit, ac Imperatoria jura exercet. *vid. Cammer. Gerichts Ordn. part. 1. c. 1. §. nemlich wollen. ibi: oder im Fall daß Ihr Liebd. die Käyserliche Majestät nicht in Reich oder in der Nähe wären / wir als Römischer König jederzeit den Cammer Richter &c. R. U. de anno 1555. §. und sollen in oberzehlten / ibi: die Käyserliche Majestät oder in deren Abwesen auß dem Reich in ihres Vorhabens.*

Dubia quaestio est, an Imperatoris nomine eadem, an verò propria exerceat autoritate? Imperatoris nomine id fieri pro

certo habemus; Sic enim Serenisf. Saxo inter conditiones
procreandi Romanorum Regi prolatas & hanc esse voluit,
ut Romanorum Rex vivo Cæsare creatus, non suo sed cæsaris
tantum nomine Remp. administret. Trahi eò possint verba
capitulationis Rudolphi II. art. 32. Wir sollen und wol
len uns auch keiner Regierung noch administration
im Heil. Römischen Reich weiter oder anders un
terziehen / denn so viel uns das von Käyserlicher
Majestät vergönnet / das wir auch Ihrer Käyser
lichen Majestät die Zeit ihres Lebens an Ihrer
Hoheit und Würde des Käyserthums keine Zw
rung, oder Eintrag thun sollen und wollen.
*Conf. capitulatio Maximilian. art. 15. Ferdinandi III.
art. 49.*

§. XXVI.

Certissimum est Carolinâ lege Imperatorem omnia Ju
ra ipso electionis die consequi, quæ omnia vel quædam eo
rum suo nomine Romanorum Rex exercere non potest,
quamdiu in vivis est Imperator. *vid. Limneus l. 1. c. 22. Carpz ad
L. Regiam. n. 16. seqq. Dan. Otto. Diff. Jur. Publ. c. 15. p. 523. seqq.* Ac
cedit quod ab omnibus ferme non nisi Imperii vocatur Vica
rius, cujus est, alterius suppl. re vices, unde & nomen quoq;
fluxit. Male coherent: Vicariâ fungi operâ, & tamen id i
psum suo nomine expedire.

§. XXVII.

Dissentientes multa habent argumenta: verbis utuntur
A. B. in tit. 2. §. pen. verb. Confirmationem autem hujusmodi ele
ctus ipse, cuilibet Principi Electori in specie, primò suo no
mine Regali faciet, & deinde sub Imperiali titulo innovabit.
Ecce Regis nomine factam confirmationem. Verum firmi
ter credimus A. B. nihil de nostro Rege, qui vive Imperatore
eligitur,

eligitur, disposuisse unquam: Illi autem qui vacante sede, ac defuncto Cæsare electus est, ordinariam Jurisdictionem nemo nisi insipiens denegabit.

§. XXVIII.

Multa quidem de societate Imperii legimus; Sic Friedericus de pace constantiæ in pr: Nos Romanorum Imperator Friedericus, & Filius noster Henricus Romanorum Rex concedimus vobis Civitatibus, locis & personis societatis regalia & consuetudines nostras tam in civitate, quam extra civitatem &c. Regnavit Otto II. cum Patre superstite annos V. menses IV. dies XIII. Henricus II. cum Patre Conrado annos XI. menses II. dies VI. & alii qui legi possunt *apud Carpzov. Cap. XI. Sect. V. n. 4. §. 6.* Firmi quid contra nostram sententiam ex hisce vix colligitur: Licet enim simul regnaverint Romanorum Reges cum Imperatoribus, nondum tamen constat, utrum utriusq; an vero solius Imperatoris nomine jura exercita fuerint. Et licet ita sit, quod verba Friederici supra allegata innuere videntur, justamen commune inde desumendum non est, cum planè non constet, quibus pactis ac conditionibus Imperii administratio ipsis fuerit communicata.

§. XXIX.

Aliquid negotii videretur facere *Recess. Imperii Spirens. de anno 1542. §.* und damit solches alles desto gewisser. *ibid.* im Nahmen der Römischen Kayserslichen Majestät / und für uns selbst. Item. R. J. Augustan. de anno 1548. in pr. vers. So haben wir Ferdinand. Römischer König &c. *ibi:* auch für uns selbst als Römischer König &c. & alii à *Carpz. d. l. n. 8. allegati:* Liceat uti responsione, quâ *Carpz. d. l. n. 22. usus est:* Loqvuntur scilicet *Recessus dicti* non de quibusvis Regibus Romanorum superstite Imperatore electis; Sed de Ferdinando

nando saltem I. cui frater Carolus V. vices suas peculiariter mandaverat. Potestas igitur Ferdinandi ad Caroli arbitrium revocabilis erat: quod ex comitiorum patet actibus de anno 1555. §. und wiewohl vers. So haben wir in Nahmen und an statt hochgedachter Kayserscher Majestat uns entschlossen etc. §. solches alles und jedes gereden und versprechen wir / an statt und in Nahmen der Kayserlichen Majestat.

vid. Rumelin. ad A. B. part. 3. Diff. 2. tb. VI. Patet ex dictis Romanorum Regem delegatam, non propriam habere Jurisdictionem. Propria siquidem est, quam quis principaliter suo jure & non beneficio alterius exercet. Mandata autem seu delegata, quæ alieno mandantis sc. beneficio exercetur L. 5. §. 6. ff. de Jdict. Franzk. in ff. eod. tit. n. 32. 33. Præsumitur autem Imperator mandasse Jurisdictionem Regi, si absente se aut impedito aliàs, exercendum quid contingat, quod exerceret ipse, si vel præsens vel non impeditus esset.

§. XXX.

Confectarium est, Romanorum Regem Majestatem non habere. Est Majestas suprema & libera regendi civilem societatem potestas ad finem propositum. Singula verba explicationem merentur. Explicantur à *Magnifico Dn. Zieglero Disp. 1. de Jur. Majest. tb. 5.* Ad nostrum scopum id explanare conducit, quomodo suprema potestas illa dicitur, quæ scilicet superiorem aliquam supra se non habet. Sicut enim primum id est, quò nihil datur prius: Ita illud supremum recte dicitur ac summum, quò superius nihil est. Utrum autem summitas illa ex deferendi, quod negandum, an ipso imperandi modo, quod affirmandum, petenda sit? pluribus discutere hic integrum non est. Ostendunt hæc, dici planè non posse Romanorum Regi Majestatem competere, qui Imperatorem omnino recognoscit superiorem, Dominumq; suum vocat

cat *R. J. de anno 1548. in pr. vers.* So haben wir / *ibi:* unsers lieben Bruders und Herrns. Et vivente eo nullam prorsus, aut delegatam saltem habet potestatem. *vid. Magnif. Dn. Ziegl. dict. Diff. I. tb. 62. Rümel. ad A. B. Part. 3. Diff. 2. tb. VI. cum addit.*

§. XXXI.

Quemadmodum autem nulla vis in nomine, sed in regiminis qualitate facienda est; ita propterea Ipsi Majestatem adscribere nolumus, quod eandem Illi attributam legimus in *R. J. de anno 1555. in inscriptione R. J. de anno 1557. §. und jetzt und diese ibi. wie der Königl. Maj. Commissarien. R. A. de ann. 1559. in pr.* Potest dici respectu futuræ potestatis Imperatoris, Majestatem ei attribui. Sed verò *Reinkingk. de utroq; regimine lib. class. 3. c. 14. n. 64. 66.* Regis Romanorum Potestatem cum Imperatoris numerò esse eandem scribit. Quomodo hoc conspiret cum num. 20., ubi ipse fatetur, Regem Imperatorem Dominum suum nominare, facile animadvertitur: si habeat. Majestatem eandem, erit ipsi æqualis; id autem est quod cum Politicorum doctrinâ & Majestatis naturâ pugnat: Majestas æqualem non admittit. *Bodin. de Rep. l. 1. c. 8.* & repugnât eidem non esse summam. Æqualitate admissa non datur summitas. Si dixeris in duobus residere Majestatem: vel divisim id fieri dicas necesse est, vel indivisim; Si illud, statim statues mixtum, quod falsum est: imo ex natura status mixti, invito Imperatore, suas Majestatis particulas exercere posset, & semper; quod iterum contra Publicistarum doctrinam, cum Is ex concessione saltem Imperatoris, & certo vel absentis vel impedimenti casu possit, quicquid potest: Si hoc, scilicet indivisim, status erit Aristocraticus, quod defendant qui id asserunt.

§. XXXII.

Putant nonnulli crimen læsæ Majestatis in eum committi. Refutantur hi à *Magnif. Dn. Zieglero d. Diff. I. de Jur. Maj. tb. 62.* probato supra fundamento, quod partim ex speciali Imperatoris concessione, partim non proprio nomine gesta invenimus,

venimus. Ponemus verò in Eum committi crimen læsæ Majesta-
tis, quæ Schraderi de Feud. p. 9. c. 4. n. 7. sententia est, non alio tamen
sensu in Eum committetur, quam quo in Imperii Vicarios & Ele-
ctores committi dicitur in *A. B. tit. 29.* dicitur & adversus Consilia-
rios Imperatoris committi, cum *Reldseno de sum. Princ. pot. C. XI.*
Nemo tamen Electoribus, vel Vicariis, aut Consiliariis Majesta-
tem, nisi fictitiam attribuet. *vid. Magnif. Ziegl. d. loc. tb. 63. seqq. Heig.*
part. 1. qv. 4. n. 26. p. 71. Rum. ad A. B. par. 3. Diff. 2. tb. 6. cum add. Ipsum
a. adversus Imperatorem crimen læsæ Majestatis committere, *Be-*
ckeri sententia est, lib. 2. Synop. Jur. Publ. c. 6. p. 92.

§. XXXIIII.

Proximum ipsi ab Imperatore meritò assignamus locum, o-
mnibusq; reliquis Imperii statibus anteponimus: Nam Imperii
Vicarius est, & mortuo Imperatore ipso Jure fit Imperator *Rum. in*
A. B. de loc. p. 138. Reink. de Reg. sec. & Eccl. l. 1. clasf. 3. c. 14. n. 9. absente
autem vel impedito indicit collectas, *R. J. Spirens. de anno 1642.*
S. damit auch solcher Ordnung: conscribit comitia, dict. Recess.
Imp. S. So haben dem allen nach. ibi. in Mahmen und an statt
Ihrer Kånserl. Majestät und für uns selbst etc. habet jus indicen-
di & exeqvendi Banni. Reink. d. l. n. 53. Pragmaticas Imperii san-
ctiones & Constitutiones promulgat. *Recess. Imp. de anno 1555. S.*
und im Fall da die Römische Kånf. Maj. ibi an statt etc. De Feu-
dis Majoribus ac regalem dignitatem annexam habentibus in feu-
dat: Concedit regalia, aliaq; jura & privilegia. Dicemus brevi-
ter; Omnia absente Imperatore potest, quæ ipse præsens ac non
impeditus facere posset, vi mandati cum liberâ quod habere exi-
stimatur: nisi expresse quid esset prohibitum, vel Imperator i-
pse plerumq; facere non sit solitus, ibi enim expressa repugnaret
voluntas committentis, cui Vicarius contravenire non potest; hic
a. plus faceret quam ille cujus partes explet, quod vicissim con-
gruè non dicitur. Hinc facere non potest, ut Imperatoribus jus di-
rectum lædatur: nec alienare enormiter, quæ Imperii sunt, nec di-
sponere

sponere pro suo arbitrio de bonis Imperii, ad Mensam Imperatoris deputatis, integrum Ipsi est. *Matth. Steph. de Jdict. l. 2. p. 1. c. 11. n. 58. & aliquot seqq.*

§. XXXIV.

Ultimo de tribunali ejusdem dicendum restat, quod cum ipso Imperatore habet idem. *Dan. Otto Diss. Jur. Publ. c. 15. p. 522. Limn. L. 2. Jur. Publ. c. 15. n. 50. Nolden. de Nobilit. c. 2. n. 46. Schonborn l. 5. Polit. c. 14. p. 389. Matth. Steph. de Jdict. L. 11. part. 1. c. 2. num. 55.* Convenitur autem Imperator in causis pecuniariis coram Comite Palatino *A. B. C. V. §. 3.* Quod Judicium in Curia Imperatoris, a. ubi Imperator praesens extiterit, institui debet, contra *Hyppol. à Lapid. part. 1. c. 5. sect. 3. p. 94.* qui id explicat de ipsis Imperii Comitibus, & pleno ordinum Imperii confesso. In illis a. causis quæ majoris sunt momenti, & ubi de depositione Ejus agitur, totum Electorale Collegium judicium constituit, cujus tamen Director Palatinus est; ut Electorum sit deponere, quorum erat eligere. In Feudalibus tandem causis Pares Curiae legitimi ipsius sunt iudices: Sunt enim Feudales causae inter Dominum & Vasallum ad id specialiter privilegiatae, quod earum cognitio ad nullum alium, quam ad Pares Curiae pertineat. *Vid. Rümel. ad A. B. Diss. 5. th. 1. 7. & seqq. Otto d. loc. c. 16. p. 537. Reinkingk de R. S. & E. lib. 1. Class. 4. c. 5. n. 2. & seqq. & talia tribunalia Romanorum Regem habere ex supra dictis. concludimus.*

SOLI DEO GLORIA.





Ant. Th. 1342

VD17

M.F.



B. M. H. 70.
h. 12 v.

DISSER
REG

CONSENSU
IN ILL

NOBILISSIM

DN. CHR
J. U. D. CELEBERRI
SAXON. ELECTORI
NUM JUDI
TAT

Domino Patron

JOHAN. JOAC
IN

D. II. N

Typis MATT

II R
1542

IA-

FICI

A

EX/

SSIMIQUE
LLATIO-
IL-

io-

AL. MISN.

